

# **Miscellaneae theses, medico-chirurgicae / [Theophilus Friedrich Faber].**

## **Contributors**

Faber, Theophilus Friedrich.  
Camerarius, Elias, 1673-1734.  
Universität Tübingen.

## **Publication/Creation**

Tubingae : Literis Jo. Cunradi Reisii viduae, [1724]

## **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/dfk5sq4f>

## **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

L. D. B. V.

MISCELLANEÆ THESES,

MEDICO-  
CHIRURGICÆ,

*Quas*

JUSSU AMPLISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ

PRÆSIDĒ

ELIA CAMERARIO,

PROF. P. MED. ET CONS. WIRT.

PRO LICENTIA,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS  
CONSEQUENDIS

EXAMINI PUBLICO EXPONIT

THEOPHILUS FRIDERICUS FABER,  
NEOBURGENS.

AD D. JVN. MDCCXXIV.

---


T U R I N G Æ,

Literis Jo. Cunradi Reissi Vidua.

PARENTI OPTIMO  
CHIRVRGO PERITO, CELEBRI  
DOMINO  
JAC. BALTHASARI  
SIMONIO,  
UNIVERSITATIS TUBINGENSIS CIVI ACA-  
DEMICO ET CHIRURGO JURATO.

NEC NON  
VIRO  
NOBILISSIMO EXPERIENTISSI-  
MO & EXCELLENTISSIMO  
DOMINO  
JAC. WENDELINO  
SIMONIO,  
MED. ET CHIRURG. DOCTORICELEBERRIMO  
CIVITATIS LIBERÆ IMPERIALIS HÆLBRONNÆ  
PHYSICO PRIMARIO MERITISSIMO,  
FRATRI SUO HONORATISSIMO,  
*DISSERTATIONEM HANC IN AVGVRALEM*  
Cum voto Omnipotens Felicitatis & summa Gratiarum Actione  
pro innumeris in se collatis beneficiis

D. D. D.  
THEOPH. FRID. FABER.



## L. B. S.

**N**on est quod Præfationem postulet. Miscellaneas hasce Theses Inauguralis Speciminiis Disputatorii, quod Statuta requirunt, voluimus esse fundatum; haud dubitavimus posse eas Discursui non infructuoso præbere occasio- nem sufficientem. Vale.

### Thes. I.

Siccitas vulnerum, partibus cumprimis tendinosis infectorum, semper monstri quid alit, ac sæpè funesta est.

**A**ngustos Scientiæ nostræ limites, & quam parum penetraverimus hactenus in genesin rerum, vel sola puris in vulnerum cavo generatio docere abunde

poterit. Loquimur verò de pure laudabili, ad vulnerum sanationem plurimùm conferente, & in ipsis quoque Capitis vulneribus raro detegendis balsami cuiusdam frequenter obeunte vi-ces. Hujus sanè sive ex sanguine, sive ex lympha genesis inter abscondita adhuc est quā modum specialem fiendi, etsi utilitas ejus, atque ad obtinendam ritè sanationem vulneris necessitas in aprico sit. Unde & siccior justo vulneris aspectus non im-meritò in sanationis decursu tenet medentes, qui vel pravam inde sanguinis confusamque diathesin hariolantur, vel purulentæ materiæ translationem in Sanguineæ Massæ penetralia re-formidant. Obtinet id potissimum in earum partium vulneribus, quæ tendinosa structura gaudent, atque ubi scissæ læsæ quo tendinum fibræ graviter fuere laceffitæ, non in artubus modò, verùm & in ipso Corporis truncо. Dabimus in imo ventre rei attentione nostra dignissimæ Exemplum memorabile: Vir robustus 17. mens. die horis vespertinis adacto inter lites vi acuto cultro vulnus accipit tres à cordis scrobiculo digitos ver-sus dextrum hypochondrium remotum; extrahit æger ipse illi-cò cultrum, insequente hæmorrhagia largiore, ad aliquot san-guinis æstimata libras; cumque stilum chirurgi ad digitii pro-funditatem possent introrsum adigere, haud vanè conjiciebant, scisso peritonæo in ipsam hepatis substantiam penetrasse cultrum; deligato ex arte vulnere, vicinisque partibus, ut solent peritio-res Chirurgi, munitis, æger non tam de dolore vulnus, vel vi-ciniam ejus occupante querebatur, quam de punctione sumimè dolorifica totius dextri lateris, inde ab axillæ humerique con-finiiis, usque ad pedis calcem; æquabili vibratione micabat pul-sus, at minor justo ac celerior; talem eum Medicus hora post medium noctem secunda deprehendit, non obrutum sopore præternaturali, nec vomitu fatigatum ullo, nec conatu ad il-lum se ostendente; mente sibi penitus constante. Data sunt remedia congrua interna, & extus quoque fatus convenientes adhi-

adhibiti. Die (18.) in sequente siccum penitus apparuit vulnus; nec stilus adigi potuit, ubi die praecedente per peritoneum, revoluto in abdomen ægro, hōcque manibus versus vulneris labia leniter presso vix paucæ sanguinis attri amaricantis guttulæ prodiere. Lac injectum omne refluxit illicè. Lewis erat tam in sinistra vulneris parte à tactu dolor, & in cordis quem vocant scrobiculo ardor aliquis, ac pressio. Appropinquante meridie illi quoque circa vulnus dolores evanescabant penitus, placide post meridiem obdormiscente ægro, qua etiam tranquillitate nocte in sequente, quæ diem mensis 19. precedebat, liber à terrore, aut succussione, somniisque gravioribus gavisus est, ipsi etiam vulnerato lateri incumbens. Omnia per id tempus ex artis regulis agebantur solicite ac decenter; permansit idem vulneris siccus status, idem ægri, usque ad noctem, qua dies 21. suum capiebat exordium, qua quidem ex somnio cum terrore à somnio terribili excitatus est. Il lucescentis diei illius horis antemeridianis horrore febrili corripiebatur, in sequente mox calore p. n. siti, ac lassitudine maijore, durior tuin digitos tangentis feriebat pulsus, at æqualis tamen, persistente semper eadem vulneris siccitate, purisque absentia. Comparebat quidem die 22. tantillum purulenti, accedebant verò sensim circa præcordia anxietates, quæ usque ad d. 23. capiebant incrementa, pulsu æuali, at celeri, rubente Urina, turbata postmodum ac rubro quoque sedimento conspicua; sitis potentius incipit urgere, sudor in somno largus profunditur. Conspiciuntur in Abdomine vesperi pustulæ seu vesiculæ; Noctem, quæ ducebat ad diem mensis 24. turbato somno sudanstransigit, eadem vulneris siccioris facies permanit, auctæ & numero, & quantitate, confluentes etiam abdominis pustulæ; versus noctem pedes stupor occupabat. Matutinis diei 25. horis & augebantur in abdome pustulæ, & in pedibus prodibant rubentia tubercula; cætera eadem

erant, donec die mens. 26. referrent adstantes delirasse ægrum à somno expergefactum, territumque esse, & concussions passum; durus erat celerque pulsus; latius se per thoracem, artusque, et si rariores in his se diffuderant pustulæ albican tes; & cum tantillum puris hand pravi incepisset antea se aliquoties monstrare in turundis atque Emplastro, id nunc parciflum erat, & tenacius, vulnusque proin siccus. Sopore æger ferè obruebatur continuo per hanc diem, stillante ex parte dextra parco sanguine; vesperi vulnus absolutè siccum terruit medentes, frigebant extrema, madebantque sudore frigido, faciesque ad Hippocraticam, quam vocant, declinare cœpit; Noctem sopore obrutus inter convulsivos tendinum subsultus transegit, delita excitatus responsa dedit, illucescente verò die mensis 27. blandè obiit. Ne in cadavere quidem stilo licuit in cævum abdominis penetrare; vulneris diameter non æquabat integrum pollicem, quo dilatato ex parte dextra inter fibras musculi abdominis transversi tantillum sanguinis extravasati conspectum est, aperto peritoneo vix duæ curoris unciaæ effluxere, portio omenti putridi ac gangrenosi abscessit à levi tactu, quæ parte relictum erat adacti cultri vestigium jam occlusum; rubebant inflammata intestina, tenuia ac crassa; hepar in convexa parte obtulit vulnus fundens humoris putriginosi parum, pollicis profunditate penetrans in hepatis substantiam, quæ pallebat potius, quæ ut inflammata conspiceretur, injecta in arteriam, cavaque, & portæ venam aqua parum per vulneris hiatum regredi conspiciebatur. Ventriculus inflammationis exhibebat signa, rubebat lien, renesque, lividas offerebant maculas, cor erat flacidum. Plenius ista in gratiam Tironum libuit enarrare, ut discant Symptomatis in tristibus istiusmodi eventibus probè attendere.

Quisquis novit structuram integumentorum abdominis, & quantum in ista regione subsit tendinosi, ultrò agnoscat, ad roboran-

robortandam Thesin nostram apprimè facere historiam istam. Non evagabimur hīc ultra scopi limites in vulneris lethalicatem, si qui enim existiment, tanti non fuisse hoc Vulnus, cum forsan legerint, non omnia hepatis vulnera esse lethalia, facile tamen foret rectius ipsos edocere; Etsi enim non illicò affulserit periculum, mitiaque fuerint Symptomata, totus tamen morbi symptomatumque nexus ac decursus, tardam quidem, at certam tamen minabatur necem; tantæ profunditatis in hæpate vulnus, idque, ut sic loquamur, inaccessum, lentè putrescens eò majorem in omnem sanguinis massam diffundebat labem; sive enim pus ob febrilem turbatamque sanguinis crasim haud potuerit gigni, sive genitum in parte lœfa omne resorptum in sanguinem infelici sydere fuerit, turbatio sanguinis increscet in horas, transibatque sensim massa vitalis in necrosin, cujus clarissima pustulæ argumenta erant, quas non tam veri nominis purpuram albam diceremus, quam incipientis in sanguine corporeque necroseos soboles, prodromique funestos; ipsum hepar adeò à naturali statu desciverat, ut ne quidem injecta vasis aqua refueret ex vasculis.

Nos potius hâc vice attendimus ad siccitatem vulneris pertinacem; ista sanè frequenter conspicitur in vulneribus partium tendinosarum, adeò, ut mirum videri debeat curiosis, eam partem vulneratam, quæ aliâs metum solet incutere largissima lymphæ seu dictæ Synovizæ profusione, in aliis casibus, ubi pus debebat coqui, ac humectare vulneris ambitum, nil nisi siccitatem suspectam, ac sæpe funestam offerre. Ansam dedit huic meditationi nostræ occasione recensiti casus, Excellentissimus Facultatis Medicæ Senior, Dominus Archiater Zeliérus; qui uti odiosam hanc siccitatem doloresque, per consensum in tendinosarum partium vulneribus diffusos cum illa conjunctos (quales & supra exhibuimus in ægro vulnerato) in castris crebrò observavit, ita animadvertis simul celebriores Chirurgos

Chirurgos Castrenses multum præsidii contra istam, quam in hac vulneris siccitate supponunt, puris in sanguinem resorptionem in Emeticorum usu ponere; estque omnino operæ præmium, ut inquiratur, quid ab hoc remedii genere sperandum hinc sit; neque enim semper tantum, quantum in nostro hepatis vulnera, periculum subest (hinc enim nemo cogitaverit de Emetico exhibendo.) Sanè si aliquando Emetico exhibito cef- savit vulneris siccitas, vix existimaverim, subductum sic ejec- tumve per emesin fuisse id, quicquid vulneri defuit, purulen- ti; mallem credere successoriam, vim suam exerentis vomito- rii commotionem, excitasse Spiritus languentes, excussisse ob- structiones, agitasse aliter turbatos humores, subduxisse è pri- mis viis cruditates noxias, sicque non parum, etsi indirectè magis contulisse ad meliorem vulneris statum. Non patitur scopi nobis præfixi ratio ut in ista diffundamur latius, sufficiat excitasse alios, ad rem disquisitione ulteriore dignam penitus scrutandam. Siccitas sanè ista indicare videtur in fibrillis ner- veis ac tendinosis stricturas, tensiones, natosque hinc graves liberæ circulationis, secretionisque lymphæ obices, sanguinis crasis valde turbatam, vitiatamque, & quam veteres vocassent strictam; tendentiam ejus ad putredinem ex ipso hoc fonte promanare nemo non agnoscet; clamantque omnes Historiæ nostræ circumstantiæ in gravioribus nervosarum partium vul- neribus siccitatem talem, purisque defectum esse meritò suspe- ctissimum.

## Theſ. II.

Inoculatio Variolarum nec rejici omnino, nec commendari promiscuè omnibus potest.

**Q**uem Therapeutice subministrat tertium remediorum fontem, Chirurgiam, eum jam dudum extendit, detor- sitque

sitque utiliter ad efficiendos morbos, vel potius morborum remedia; huc enim fonticuli, vesicæ excitatæ, ac setacea spestant; nunc verò eadem Therapeuticæ pars ad cudendos data opera morbos adhiberi cœpit, postquam inter Græcos, Orientis incolas, adhibita est ad excitandas pro lubitu variolas, earumque sic malignitatem, ferociamque evitandam. Absit ut methodum tritissimæ, lippisque jam ac tonsoribus notæ operationis hîc recenseamus. Miremur potius ingeniosam inventoris primi industriam, audaciamque, quæ tantos paradoxæ primum insitioni successus dedit, ut non inter Græcos modò celebraretur, sed prætervolans quasi Europam reliquam, rei licet novæ non ignaram, in Novam mox Angliam appelleret, quos non rei novitas ibi excitavit motus, imò seditiones, prævalente tandem sinistris rumoribus arte nova, ac in ipsum Magnæ Britanniæ Regnum admissa, ubi non substitit intra plebis pauperculæ, quæ prima subiit, post captivos aliquot reos, tentamina, tuguriola, sed ipsas quoque subiit Regias Ædes, ipsis Regni Hæredibus admotis incisionibus istis, insertoque pure variolas gignente, seu sanguini inferente. Multi undique applausus exaudiebantur, sed nec defuere sinistri rumores, obiisse etiam ex insitiis variolis quosdam, alios paslos contra spem omnem, ipsamque instituti rationem fundamentalem recidivam, iterumque variolis fuisse correptos, alios ex benigni puris insertione malignas contraxisse variolas; tantumque valuerunt isti dubio procul rumores, ut qui aliâs tentare avidius nova, aut imitari cum successu alibi tentata promptissime creduntur Galliæ Chirurgi hactenus ad suscipiendum, quod vicinis probatur Anglis, grave negotium haud accesserint, et si tantas in eorum Metropoli strages edat dira variolarum rabies, summis imisque funesta, ac formidabilis toti Regno; Nec dubitandum tamen, seria agi de re tanti momenti introducenda consilia in Aula, tanta circumspetione

etione & Regis sui , & Magnatum , & Regni totius curam gerente.

Nos verò qui & rem istam disputationis nostræ voluimus esse materiem , exemplis jam non agimus , sed rationem redimus theses à nobis præmisæ. Non audemus rejicere simpliciter , quod tot passim exemplis comprobatur fuisse feliciter scripta vitorum gravissimorum plenissimè nos edocent. Cui enim non optabile sit remedium , quod morbum subdola malignitate vitæ nunquam ferè non , in adultioribus maximè insidiantem , convertat in morbum benignum , mitem , vix letō ægrum affigentem , brevi transeuntem ; si maximè securum eum reddat , qui hac via sibi adscivit variolas , ut metuere ab iis sibi impostorum haud debeat. Neque igitur dubitamus esse homines non paucos , quibus insitio ista purulenta salutaris esse queat , ac prospertima ; quinam verò illi sint , ac quomodo agnoscendi , id difficilius paulò arbitramur determinatu. Nec diffitemur enim , id remedii , vel morbi potius factitii genus non audere nos promiscuè commendare omnibus , vel ideo saltē , quod equidem supponatur , ex variolis benignis desumptum pus immitti in incisiones homini sano factas , quodque id deceat omnino supponere , si locum debeat habere operatio ista insititia ; quis verò te certum reddet , variolas , quarum saniem educis , esse benignas , cum & malignissimæ sœpe usque ad ~~ακμήν~~ morbi mentiantur benignas , ac tum demum subito prodant genium suum perversum , pravumque ; quis deinde ausit sibi promittere pus ex benignis variolis extractum in quounque subjecto æque benignas protrusurum pustulas ; immitis incisioni factæ linteolum pure madens , aut instillas sanie guttulam , moleculæ purulentæ rapiuntur in leges motus sanguinis prope incisionem circulantis , absorbentur ab osculis capillarium , quæ scissa sunt , vasculorum ; quam tenue fermentum , leuite quidem , sed potenter omnem sanguinis massam , per tot

tot viscerum mæandros diffusam, jugiterque agitatum, sensim sensimque turbans, in sui motūs leges cogit omnem fluidi vitalis molem; jam cogita quæso incidere pus istud instillantem in cacochymicum corpus, vel tale saltem, quod scateat heterogeneis, ac parum æqualiter incoctis mixtisque massæ toti particulis, quantæ h̄ic turbæ, quām violenta Symptomata, quanta porrò malignitas erigere caput subito poterit, ac conspirare in ægri perniciem, qui forsan tam graviter haud fuisset decubitus variolis naturæ consueto cursu invadentibus, vel ab iis planè futurus liber. Hæc tamen sufficiunt ad fulciendam thesin propositam; res tota non ratiociniis, sed tentaminibus crebris decidenda erit; ad id verò mora opus est, si certi velimus esse de immunitate eorum qui artificiales passi sunt variolas; qui naturaliter iis tentantur non raro bis, imò ter laborare solent incertis intervallis; ratio ad minimum vix hactenus ulla allucet, quæ artificialibus variolis privilegium hec adjudicet; res igitur Experientiæ relinquenda, quæ cum jam eousque invaluerit, ut vel Regiæ stirpis personas subjecerit tentaminibus istis, brevi forsan si Gallia sequatur exemplum istud, ubique dominabitur. Ecquid enim Gallis probatum alii non recipiunt?

### Theſ. III.

Fistulæ Lachrymali dicata subtilia Instrumenta Anelliana non ad solum obſtructionis ſacci naſalis caſum reſtringenda ſunt.

**E**Gregium Artis inveniendi ſpecimen publico dedit Ingeniosissimus Anellus, cum pertinaci studio, ac meditatio- ne indefeffa ILLUSTR. Abbati Genuensi Fiesquo, cui initia lachrymalis Fistulæ moleſtum incepiebant faceſſere negotium, mederi ſuſtinuit. Si quid in iſtiuſmodi gravi negotio efficere

potest ægri præcipua Nobilitas, splendorque ac divitiae, cupi-  
 dum gloriae ingenium stimulantes ad investiganda solicite re-  
 media, id sanè omne ipsa re ac praxi exhibuit tum præstigit quo  
**Anellus**, cum maximè faveret fortuna ( ita enim vulgo beni-  
 gnam Dei providentiam appellat mundus ) offerretque fistu-  
 lam benignam, ( si ulla benigna est fistula) ac in principiis suis  
 constitutam. Absit verò ut dicas, facile fuisse talēm fistulam  
 nuda sacci nasalis obstructione constantem, nec ad cariem os-  
 sis progressam tollere ; fuerit enim hoc facile **Anello** instru-  
 mentis instructo , omni sanè his destituto erat difficillimum.  
 Et quotusquisque est, qui ab opere jam suscepto non destitis-  
 set, cum prima tentamina toties essent irrita ; qui jussu **Anelli**  
 stylum tam tenuem primus globulo suo instruere jussus fuerat  
 Gallus artifex sexaginta stylos perdidit ac confregit, antequam  
 unus ipsi ad votum succederet ; quis verò est, qui facilè toties  
 faciat ejusdem rei non succendentis tentamen ? constringebatur  
 insuper Inventor æquè ac Artifex intra terminos angustissimos,  
 puncta lachrymalia vix setam admittunt, oportebat igitur sty-  
 lum conficere ex argento ductilem seta tenuiorem, & globulo  
 tamen instructum in apice , ea quidem lege , ut diameter glo-  
 buli setæ Diametrum non excederet, imò & canalem ex me-  
 tallo eodem requirebat hoc malum setæ diametro crassitie sua  
 æqualem. Obtinuit hæc pertinax industria, inventumque e-  
 gregium eò per hos gradus feliciter perduxit ut & Abbatem bre-  
 vi restitueret, & paulò post Augustam Potentiss. Sardiniae Re-  
 gis Matrem eodem fistulæ metu liberaret. Ea verò fuit mo-  
 destia, & veritatis amore Inventor, ut ipse restringeret usum  
 Machinulæ suæ ad fistulam simplicem ex occlusione sacci na-  
 lis ortam, hanc enim tenui stylo pertundere, & sordes saccu-  
 li Siphunculo subtili, injecto liquore congruo eluere docuit.  
 Meretur applausum præstantia æquè ac subtilitas inventi , &  
 quò magis id contemplamur , eò ampliorem nobis videmur  
 con-

conspicari ejusdem usum ; quam usus amplificationem exten-  
 sionemque, si inanem libeat vocare speculationem , eò id fa-  
 cilius tibi indulgebimus , quod in Disputationibus Académi-  
 cis nec novum sit , nec vetitum suspicari , tentare , imò &  
 nonnunquam à proposito scopo aberrare. Non dicemus fi-  
 stula nondum præsente, glutinosis tamen humoribus, eorum-  
 que affluxu minantibus , possibilemque reddentibus Sacci na-  
 salis occlusionem , vel & acrimonia istius humoris largiter al-  
 luentis erodente tantisper orificium , ut concrescere id dein fa-  
 cilè queat , posse tum præservando & muniendo partes has lo-  
 nes travmaticorum , atque abstergentium injectiones esse per-  
 quam utiles, id enim ipsa rei evidentia quemvis facilè docuerit.  
 Nec monebo , in simplici fistula occlusionem facci non statim  
 pertundendam stylo , cum mora aliqua injecti parcius liquoris  
 congrui plus præstare queat in mundificando isto parvulo recep-  
 taculo, quam si aperto orificio statim rursus effluat , namque &  
 hoc ex ipsa mali hujus natura fluit ; potest sanè status nasalis facci  
 in simplici etiam fistula varius esse , cum vel sine erosione su-  
 perficiali , potest esse siccior glutinoso muco obsitus , omni-  
 bus istis inserviunt hæc injectiones. Nec aberraverim forsitan  
 penitus , si dixero , facta jam erosione , ossa jam tantisper de-  
 nudato aliquem ex injectis per hunc syphunculum liquoribus  
 redundare fructum , si nimia ista læsio non sit ; quoties enim  
 accidit, ut nudatum alicubi os præservetur à profundiori ero-  
 sione applicatione eorum quæ ossis putredinem seu cariem im-  
 pediunt , sive secedant dein aliquæ tenuis ossis lamellæ , sive  
 & sine ista separatione (cujus Exemplum subministrant in crano  
 Ruischianæ observationes) sensibili. Nec inutile fuerit injec-  
 tiones in sacculi nasalis ulceratione , erosione , imò & in ossis  
 carie prosequi , ijsque insistere , annon enim plurimum lucra-  
 mur , si progressum mali sistere liceat ; sic enim non rarò for-  
 san monstrabit natura , injectionibus his viam complanantibus

rationem, quâ dein tutius delicatæ fistulæ, quam vocant, Operatio institui queat, quæ haud infrequenter sine successu tentatur. Quid autem vetat, quò minus injectionibus istis in lachrymalia vasa utaris in Ophthalmia infantum diuturna ac refractaria, non saltem ad occlusionem sacci nasalis, quam minari & acrium, & viscidolorum humorum jugis affluxus queat, impediendam. sed & ad eluendas, quæ forsan sacculum nasa-lem nondum plane occlusum tum occupant, sordes spissiusculas, quæ sub mota diuturniore valdè fieri acres, & regurgitare per punctum lachrymale ad ipsum subinde oculum queant, eumque sic satis jam lacefsum, magis adhuc vellicare atque irritare, si-que inflammationem obstinatam augere ac fovere. An in quibus-dam faucium malis profundioribus hæc via ferre supetitas liceat, illi disquirant, qui vel ea uti jubent ad juscumi, occluso fato fini-stro ac constricto'ore, injectionem pro nutritione, vel qui non dubitarunt vina Burgundica hac semita in corpus puerorum tentamini expositorum instillare. In quibusdam Coryzæ speciebus, in immodica sternutatione, in hæmorrhagijs narium, in membranæ illas succingentis erosione altiore, in ulceribus illius, imò Ozæna, in scorbuticis, aliisque analogis affectibus & Ossi narium, & cartilaginibns acrimonia sua detrimenta minantibus, imò & in ipso, qui nares faucesque infaustis suis perrepit ramificationibus, Polypo, quid valeat præstare hæc methodus, malumus nunc relinquere aliis altius pensitan-dum, qui studemus hic ex instituti ratione brevitati. Erit verò etiam, si penitus rei attendas, quod conferre queat Siphunculus tenerimus in iis locis, quæ facilioris sunt aditus atque amplioris, cum scilicet lenior allapsus liquorum affun-dendorum requiritur; Non loquor jam de injectionibus in fauces vel tumidas, vel viscido obductas muco, vel inflamma-tas, quæ non semper æquè commodè ferunt injectiones majo-ri siphone factas, quibus non raro graviter, dolenterque affi-ciuntur,

ciuntur, imò irritantur; sed id solum monebo, non futurum  
 inutile, si partes exulceratae, inflammatæ, cavitates, sinusque  
 ubi nervi denudati, sensilesque admodum fibræ, injectiones  
 fortiores, largioresque non nisi ægrè ferunt, rore hujus siphunculi  
 blandissimè perfundantur, cum liquores per ejus tenellum  
 osculum tenuissimo filo protrusi in inumeras disjecti guttulas  
 placidissimè allabantur partibus teneris, ac denudatis. Imò  
 est adhuc aliud, tenuem hunc stilum, ac Siphunculum maxi-  
 mè commendans argumentum, ac momentum, angustissimi  
 scilicet sinus, ac inconspicua foraminula, qualia in fistulis  
 passim, queis Scirrhosi callosique tumores frequentius quasi  
 quibusdam cuniculis perfodiuntur, sese offerunt, quò sæpo  
 ordinarii Siphones penetrare, immittique haud queunt: ne  
 verò existimes inani hæc speculatione duce me effutire, en-  
 tibi historiam morbi nuper oblati, ubi revera tale fistula orifi-  
 cium obtulit, quod summa cum molestia ægri lotium largiter  
 dimittit, ordinarium verò Siphonem minimè admittit; recen-  
 semus id in gratiam Tironum, quibus talia scripta Academica  
 unicè scribuntur, doctioribus talia nova non sunt. Diurna  
 ac virulenta Gonorrhæa Vir quidam obrutus est molestiarum  
 ingenti fasce, extillans tam diu acris ac diversicolor sanies u-  
 rethram sensim graviter afflixit, inflammavit, exulceravit,  
 angustioremque stricturis & excrescentijs reddidit, ut quan-  
 dam quasi contraxerit callositatem, quæ & intra ejus se limi-  
 tes haud continere passa est, sed latius extensa occupat omne  
 quod inter anum scrotumque est perinæum, duritie quidem la-  
 tiore, alicubi tamen in perinæo corrosivi liquoris alluentis in-  
 desinenter acerrima, causticaque vi subtilissimè perforata,  
 fistulamque formante hactenus inexpugnabilem, ac vel ideo  
 permolestam, quod ob urethram per omnem suam longitudi-  
 nem augustatam, strictioremque redditam, plus ferè per fi-  
 stulam effluat urinæ, cum emittere eam ægrotus cogitur, co-  
 gatur

gitur verò frequenter non sine molestia , quam per urethram ipsam , utut ea sit extremæ fistulæ augustia , ut vix acum admittat tenuem ; En verò tibi casum cui Anelliani congruent Siphunculi , ubi enim vel seta admittitur , ibi & isti tubuli immitti queunt ad instituendas injectiones scopo convenientes , esse verò injectiones hīc quām maximè necessarias vel inde elucescit , quod in recondito fistulæ sinu colligatur subinde purulenta sanies viscidula , cavernulas istas opplens , quæ antequam fluere perse ex angusto fistulæ orificio queat , excitat in ægro febrilia symptomata , quæ non nisi angustis sinibus evacuatis exhaustisque effluxu sanie i stius cessant , urina tum & liberius rursus effluente , etsi largius per fistulam quantumvis angusto patentem exitu , quām per urethram ; Quis verò hic non agnosceret subtilissimi siphunculi usum valdè commodum , ad disponendam citius viscidulam hanc corruptamque saniem ad effluxum , præcavendaque proin febrilia illa symptomata , ac metum majoris tum erosionis , tum occallescentiæ in scirrhū tandem maligniorem facile degenerantis , donec Chirurgica manu exercitatiore malum radicibus altis firmatum , si quidem sperare id fas sit , plenius tollatur . Sed non libet immorari diutius foetentibus his subtilitatibus . Ista saltem cogitationum somnia nobis suggestere elegantissima illa , & subtilitate sua atque utilitate maximè commendanda instrumenta , quæ , quod in principio statim agnovimus , specimen præbent artis inveniendi verè practicum , in quod inventor non casu , quod fieri plerunque solet , incidit , sed attēta circumstantiarum omnium collatione atque consideratione .

## Theſ. IV.

Catheterum variæ species , structuræ , applicationes dijudicandæ sunt secundum scopi varietatem .

Quæ

**Q**uæ mala sequantur Catheteris frequentem applicacionem in Centuriis Ephem. Nat. Cur. egregiè ostendit Excellentiss. Riedlinus, exemplo Viri octogenarij Illustris, cuius ob collectam in vesica urinam Cathetere à Chirурgo minus dextrè applicato sanguinis fluxus concitatus est, etsi verò peritior alius Chirurgus frequentius dein, agiliusque eduxerit urinam, donec illa liberius iterum flueret, tamen frequens ista, utut necessaria omnino applicatio Catheteris, ægrum tum restituens, ut ea per triennium integrum non amplius habuerit opus, post se reliquit frequentem ad reddendam urinam stimulum, & muci perpetuam excretionem, qua cœlante statim exardeſcebat in senili corpore febris, quæ & tandem imminuto multum fluxu illo consueto pultaceo anomala atque inexpugnabilis facta vivorum numero decrepitum senem subtraxit. Hic sane, judice Celeb. Viro, Catheter malum necessarium fuerat, alia necessaria mala, frequentem mictionem, & spissiusculi muci perpetuam egestionem post se trahens, his enim cœlantibus defecit senile corpusculum.

Nec diffitemur sœpè id Catheteris usum nobis reddidisse exosum, quod sub applicatione manu etiam non imperita facta, semper aliquid cruoris excernatur, exprimaturque, quod uti sine vasculorum ruptura, ac continui læsione fieri haudquaquam potest, ita metum facile incutit gravioris mali facile inde, saltem in debiliore subjecto succendentis. Nec carere tamen Instrumento illo atque Operatione possumus, sit igitur illa semper commendator methodus, quæ minimum in urethra ac vesicæ sphinctere, meatibus tenerimi sensus, inferat violentiæ. Recentiores sanè Gallorum Catheteres æquabili curvatura juxta majoris circuli arcum inflectuntur, cum antiquiores minoris diametri semicirculum quasi parti rectâ protensa adjungant, hinc & diversa applicatio, illis elevato membro desuper immittendis, sine conversione Catheteris, solam

depressionem insequente urinæ fluxu, cum hi sursum intrusi convertantur demum in vesicam admissi, sicque exitum urinæ concedant. Nec spernendum est Argentoratensis Cel. Chirurgi D. le Maire inventum, cuius Catheter in apice apertus rotundo foramine nulla in lateribus, nec rotunda, nec oblonga habet foramina, stylo autem oblongum in apice globulum gerente clauditur, qui viam parat Catheteri, nec quidquam vel muci, vel puris, aut filamentorum, uti aliis catheteribus accidere potest, obstruere valet aperturam tubuli, Catheter in vesicam plenè admisso demum protrusione styli ulteriore promittenda urina aperiendo; modo & melius complanetur tubi orificium, poliaturque exactius globulus styli oblongus. Est & ubi Catheteres flexiles, sive tenui argenteo stylo, sive crassiore plumbeo instructi magis commendari debeant; uti & inæqualis crassitiei Catheteres prorsus necessarii sunt. Plumbei verò illi canales ac sic dicti Catheteres stylo quoque plumbeo instructi urethræ magis inserviunt, tum apertæ servandæ, tum dilatandæ, tum etiam liquoribus profundendæ, aut pulveribus aspergendæ &c. Qualiscunque verò fiat Catheteris applicatio, quacunque ætate fuerit æger, semper lenissima agendi ratio commendanda est ob partium teneritudinem; cum maximè eum sæpe in statum urethra perveniat, quo vix admittit Catheterem, sive obstent Carunculæ adeò famosæ & controversæ, sive aliæ variæ formæ excrecentiæ, sive cicatrices & angustationes aliæ canalem coarctent, stringantque; quò ea pertinent, quæ in Centuriis Eph. Nat. Cur. per Ill. D. Bar. à Brunn, & Excell. quoque D. Genselius eruditè ac solidè deducunt.

## Theſ. V.

Sectio calculi in Hypogastrij pubisque confinio incipit

cipit reviviscere, tentaturque jam denuo Chirurgis, dubites tamen an Chirurgi receptam Methodum facile sint deserturi.

**M**aremur fata hujus gravissimæ Operationis Chirurgicæ. Sectio hæc, quam vocant Altioris Apparatus (du Haut Appareil) à FrancoLausanensi in prægrandi calculo adhibita, nec tamen ideo aliis commendata evanuerat quasi ex hominum memoria; Methodus recepta tum minoris, tum majoris ut loquuntur apparatus unicè omnibus arridebat; donec Paradoxus ille Franciscanus (Frere Iacque) nova Methodo pugionem suum audacter nova operationis specie latum pollicem ab ano in latere sinistro, versus angulum per ossium pubis cum Ischio conjunctionem formatum, sive juxta interius ossis Ischii tuberculum adigeret, magno primùm stupendoque applausu, non sine strage tamen ægrorum frequenti; Ipsa vero Viri crudelitas, & negligentia tot ægris funesta, (cum negligenter cannulati Catheteris vel conductoris usum, scindenterque saepius vesicam aliquot foraminibus pertunderetque, unà etiam cum intestino aliquando, & in fæminis cum uteri vagina) brevem ipsi hanc gloriam indulxit. Nec diffitebantur tamen magni nominis Chirurgi operationem ejus solicitè adhibitam laudem mereri; agnoscitque Cel. Dionis, ea se permotum ad æstimandam, imò præferendam communi viæ utriusque apparatus altiore illum Franci apparatus, ipsam vesicam audacter in summo pubis pertundentem, si repleta plene injectione aquæ vesicâ, ac turgente, ritè sectio fiat, quam diligenter describit. Agnoverant id Viri dexterimi, at prævaluit tamen Ordinaria methodus, utut enim Bonnetus eam in Cel. Nosodochio Patisiensi disseratur crebrius instituisse, altum tamen apud alios de ea silentium fuit, donec in Anglia nuper in scenam ea reduceretur (etsi & in Galliis quidam ejus meditarentur

ditarentur renovationem , & expolitionem ) imò & in Publio-  
cum admitteretur Nosodochium. Nemo non agnoscat ,  
requiri insignem in operante dexteritatem , nec tam facilem for-  
san esse in grandiori fissura vesicæ coalitionem , et si & huic me-  
deri doceat Dionis; nec facile tamen erit Chirurgis relictæ or-  
dinaria receptaque via , hanc sequi novam , speciosam quidem ,  
at multa attentione perficiendam , quam minorem requiri cre-  
dent in consueta sectione jam ipsis familiari. Forsan diversa  
calculi magnitudo , figura , adhæsio , vesicæ dispositio , aliæ-  
que circumstantiæ Chirurgis prudentibus indicia dabunt , qua-  
nam uti operatione ac apparatu debeant , siquidem & nova  
hæc prævaleat. Unius positio , etiam hīc , non est alterius ex-  
clusio.

## Theſ. VI.

Oculorum Scarificatio testatur de progressu at-  
que incrementis Chirurgiæ , ea etiam tentan-  
tis , quæ olim nemo facile attigisset.

**Q**uid oculo tenerius , quid delicatius ? blanda ejus tene-  
ritudo remedia requirit ; at non raro tamen acrioribus  
quoque tentanda est pars attactus durioris impatiens ,  
non solùm quod ea illam graviter afficiant , quæ spiculis ferè  
carent , exemplo pinguedinis viperinæ , sed quod & acriora  
subinde peregrina in bulbo varia specie enata requirant , imò &  
ferri aciem suspenſa manu unguem separantis , aliaque instru-  
menta ; Nec dubites crudelem primum visam fuisse acus pun-  
cturam in ipsa bulbi intima penetrantem in suffusione , obicem-  
que radiorum deprimentem , sive is membranula fuerit pupil-  
læ obducta , sive crystallinus opacus . Nunc verò & Scarificatio ,  
vilos ac ad imos Chirurgorum ordines relegata operatio , ad o-  
culum

culum usque assurgens nova radiat nobilitate, Wolhusiano  
hoc ausu, inventoque reddita illustrior. Nec poterat quid-  
quam suscipi rationi magis congruum, cum myriades heic sint  
vasculorum, infarctorum saepe ad searlatinam usque rubedinem  
stagnante sanguine, cuius tum eductio, & in aliis casibus revul-  
sio, subductioque non potest non esse optabilis; obstiterat verò  
haec tenudo partis tam excellentis, iteratas ferri vel  
profundiusculas puncturas minime ferens aut scissuras viam  
stagnanti sanguini parantes. Quò verò non assurgit profun-  
dior meditatio Viri huic rei partique unicè intenti, indeque æ-  
stimati. Quicquid tenella rumpere vascula exitumque cruori  
procurare valet aptum negotio judicabatur. Facile igitur erat  
Ingenioso Viro relictis rigidioribus metallorum spiculis in va-  
sto Naturæ regno mitiores detegere materias, quæ ape-  
riendis vasculorum tunicis tenuissimis essent pares. Quænam  
verò illa sunt spicula, quæ lanceolæ, hamulive scindentes,  
at subtiles. Id quidem haec tenudo inter arcana est. Nullibi lo-  
cum magis inveniunt conjecturæ, quam in disputationibus;  
suspicemur igitur tantisper, et si aberremus à scopo, corrigen-  
di ab Opponentibus. Vegetabile regnum quot offert spicula,  
metallicis mitiora. Carduorum spinæ, atque aculei quibus  
passim ab Opificibus serica tractantibus fila usibus adhibentur?  
& quanta plantarum series est, acutas, asperas, scindentesve  
partes nobis offerentium. Etsi vel solas frumentacearum plan-  
tarum familias perlustremus, quam varias earum spicæ aristas  
pungentes, asperas, subtiliter scindentes offerunt; non Hy-  
grometris saltem inservientes, sed forsitan colligatis seitè aristis  
tali scarificationi haud adeò inidoneis, merenturque in hanc  
rem considerationem nostram hordei ac secalis spicæ, non ex-  
clusis aliis. Sed non libet palpare in tenebris, vel suspicari,  
breve tempus rem edocebit, erunt ex discipulis, qui pretiosum  
arcانum jam cognitum haud satis celabunt, si quæ materiam

Suam rarum non fuerit; dicentque cum Columbi æmulis, ista  
& nos potuissemus detegere proprio Marte, regeret verò me-  
ritò Inventor Golumbi, ovum in apice statuentis, responsum.

## Thef. VII.

Situs corporis varius repositionem intestinorum  
in Hernia juvare plurimum potest, etsi non  
semper uti eo liceat.

**T**am truculenta est intestinorum in Hernia prolapsorum,  
quam vocant incarceratio, ut mereantur optimè de  
publico, qui conferre aliquid ad faciliorem efficien-  
dam repositionem emoti intestini ulla ratione queunt. Inun-  
ctiones, Cataplasma, sacci, fomenta laudem merentur,  
ac sunt notissima. Id verò mireris forsan, quî tantùm non-  
nulli quærere velint præsidii in adjuvanda reductione prolapsi  
intestini in Sectione venæ, quam & commendant admodum  
largam, imò ad deliquium usque instituendam, eo scopo, ut  
tensæ partes relaxentur; videtur verò hæc relaxandi partes  
tensas methodus in statutam ancipiti parùm tuta, ob virium ni-  
miam subductionem, scopumque hac via non obtainendum;  
Siquidem eo animo aliquam sanguinis venæ sectione ventilatio-  
nem commendarent, ut inflammationi injiciant remoram, res  
speciosiore niteretur prætextu, ac admitti ea moderatione fa-  
cilius posset, per indirectum sic futura utilis ad repositionem.  
Si quid corporis situs valeat conferre, ut omnino conferre  
potest, id eo nititur fundamento, quod tensio abdominis mus-  
culorum cesset, ac suo quasi pondere intestina ad pristinum ur-  
geantur situm, vel & promptius opem ferenti cedant manui  
Chirurgi, aut propriæ. Docet id situs quem Chirurgi imperant  
Ordinarius lumbos elevans altius; consentit quoque Celeb. D.

Winslow

Winslow Methodus, jubens ægros procumbere in genua cubitosque, pendente in terram capite. Namque & h̄ic obtinetur scopus idem, nihil in abdomen tensum, nihil protrudit versus inferiora molem intestinorum, quin potius situs iste eam unā cum prolapsa portione sursum urget, compellitque. Utinam in tristissimo ægri hac ratione torti statu uti semper tali, aliove commodo situ liceret; si nec stricture arctior fibrarum, nec inflammatio subsit, haud difficulter succedit repositio, ac facile oīnūm situm fert ægrotus, at verò si inflammatio ureat, si irritata herniæ vicinia spasmodice stringatur, febrisque inardescat, viresque prosternat ægri, nil jam ingeniosè excogitati situs conferent, utpote non admittendi sine periculo, ac ne tentandi quidem.

### Theſ. VIII.

Ligamenta Hernias coercentia nunquam fida, tutaque sunt, si Elastica lamina, obicem constanter in omni situ, motuque corpori applicante, destituantur.

**P**Erversa & incongrua Bracheriorum structura querelis ægrorum perpetuis ansam præbet, efficitque non raro ut hernia in principio facile cohibenda, cum obstaculum loco affecto non ritè, sufficienterque, ac constanter applicetur deterioris fiat conditionis, transitu semper ampliore, ac faciliore reddito; unde & id accidit ineommodi, ut ægri arctius adducendo ligamentum sæpè premant lacestantque intestina non plenè reposita non sine dolore ac periculo. Ac dolendum quidem est ordinaria Bracheria pulvillum non in omni situ eadem & æquabili vi, nisuque blando applicare ad locum processus, ita ut sub incessu, ascensuque, & motionibus aliis, recedat

recedat obex & aliquam descensuro intestino relinquat egrediendi libertatem. Nec opus erat huic incommodo ponderosis, crassoque ex ferro structis machinamentis obviam ire, qualia sèpè non sine molestia vidimus applicari, non robur hic, non pondus rem efficit, perficitque, sed constans, firmiorque applicatio pulvilli seu obstaculi intestini egressui cohibendo dicati sub quovis motu situque corporis, obtinenda Elatere haud adeò robusto inter binas ferreas laminas loro tenuiori facile simplicique via, apprimendo versus pulvillum, corpori nunquam non penitissimè sic applicatum servandum. Nisi ipsum hoc à pulvillo deorsum tendens, retroque assurgens vinculum displiceat, tum enim illius vices supplebit chalybea lamina latior corio munienda, intus convexa, exterius quodammodo concava, corpori apprimè quadrans, annexoque loro corpus ambiens, annexo loco congruo scuto seu pulvillo à spirali lamina chalybea isti juncta semper apprimendo corpori, immò & si scuto jungatur Elater non spiralis, pro ventris varia tensione sola manus pressione arctius, leniusve applicabitur scutum seu pulvillus ob denticulatum quasi obicem seu rotulam. Ista verò modis innumeris combinare licet, & commodius jungere.

### Theſ. IX.

Amputationes membrorum simpliciori via & Enchiresi nixæ præferuntur operosioribus, etsi magis speciosis.

**N**olumus Historiam incrementorum hujus operationis recensere, constringimur enim angustia paginarum, dum ea ad securitatem, simplicitatemque majorem revocata est. Extulit verò caput nova Petri Adriani Methodus multorumque tulit calculum, quod crederent, & operationem & curationem breviori tempore absolvi, minorique apparatu fieri,

fieri , nec cariem metuendam esse ob servatam , truncoque applicatam carnem , nec tantos post operationem esse dolores , nec allabi ad vulnus aerem corruptorem sub deligatione , accedente membra artificialis applicatione faciliore , aliisque commodis . Tot tamen prærogativis non obstantibus nullibi ferè recepta est methodus illa , quod non omnibus applicari partibus queat , cum ex adverso quadret methodus ordinaria ubique nec duplice carnis incisione protrahatur in hac operatio , tuta que semper sit deprehensa . Idem forsitan fatum erit Machinamenti Elegantis , inventi pro extirpatione mammæ , quod Inaugurali Disputatione Ultrajecti habita descriptis , depinxit que Nobiliss . D . D . Gerardus Tabor , Physicus nunc Hassiacus in districtu Biedencopf , attendi sanè meretur egregius modus , quo semicirculi circa cardinem mobiles circulumque sic formantes constringunt , ambiuntque arctius mammam cancro- sam , ut agili Chirurgi manu conclusus intra duplicem laminam culter semicircularis in medio convexus , & aliquatenus cavè politus ( pro complexu & extirpatione intimo mammæ cancrosoe ) uno ducto resecet funditus mammam . Nemo negaverit viam hanc esse compendiosam , atque excogitatam multo ingenio , tempus verò docebit , an recepturi sint Chirurgi aliarum nationum Methodum novam , postquam recepta jam ad perfectionem insignem , majoremque jam simplicitatem reducta est . Nec dubites fore Chirurgos , qui malint libera uti manu , cultroque , quam isto inter laminas constricto , atque ab iis directo ; erunt forsitan ex adverso , qui præferant instrumenti tutioris , mammam simul protrahentis atque elevantis , & firmiter stringentis usum , quod uno momento finem operacionis faciat , moto circa centrum suum fixum una celeri circumductione cultro .

## Thes. X.

Dolor membra amputata realiter & imaginariè simul perceptus non sufficit decisioni famosæ controversiæ circa triplex Systema commercii inter animam & corpus.

**P**æcedens thesis hanc nobis suggestit inter scribendum; cum enim perpenderemus, eo etiam ex capite Adrianean illam amputandi rationem, quæ carnium portionem truncо applicandam relinquat, receptæ Methodo à nonnullis præferri, quod ea mediante facilius evitetur molestum illud ac mirabile symptomum doloris residui ac recurrentis sæpe parte diu jam amputata, & adhuc dolente, & dolente quidem contra omnem mentis aliter convictæ certitudinem. Verum enim verò Ruy schiana jam experientia contrarium docuit, doluisse ægrum pollice, membro licet hac via nova amputato; nec sufficit regessisse, minus ista methodo tendi nervos partis, quam in altera, etsi enim id aliquo cum fundamento dici posse videatur ob conservatam carnis portionem, tamen dubium forsan adhuc fuerit, annon plus nervi hic quam altera via patiantur, atque una experientia ratiocinio tali validior est. Cum, inquam, ista perpenderemus, rediit unà in memoriam, visum aliquando non nemini fuisse, singulare hoc phænomenon posse esse Lydium lapidem, quo triplex systema commercii animæ & corporis subire examen, unumque alteri præferri queat, si nimis eorum aliquod vel clarius hoc symptomum explicet, vel planè cum eo consistere aliquod non possit. Influxūs systema videbatur rem explicare, cum in eo residui trunci nervi eandem pati queant oscillationem, quam in parte alias conceperant dolente, eamque ad animam per commune sensuum transmittere; cum ex adverso Occasionale systema vix ausit

ausit dicere, Deum in anima dolorem partis, quæ non amplius adsit, representare vel excitare, nec in Harmonia præstabilita evolvi possit in mente, quod non geratur, vel adsit in corpore. Fructraneam verò hanc spem & concludendi rationem esse facile ostensu foret, cum in quovis Systemate id representeretur in anima, quod in cerebri fibrillis spiritibusque evenit, non præcisè, vel immediate quod in parte, cujus absentia tum pariter evidentissimè repræsentatur unà cum dolore partis putatitio. Estque ea commoditas non exigua Medicinæ Cultorum, quod solicii esse non debeant de hujus commercii mutui modo, rem ipsam indubie stabiliente Experientia, quâ cum fidenter dicent, animam imperare corpori, corporis motus in anima percipi, sicque cum Celeberr. Fontenellio non querentur, Leibnitii systema nimis esse subtile, ac, si id æquè ac occasionale concidat, nullam ultra spem superesse detegendi mutuæ hujus actionis passionisque modi. Hæc enim Methaphysicis in solidum relinquunt Medici de re ipsa certi. Lusimus & nos biennio abhinc in re seria, non alio animo, quam ut eliceremus dubiis pliores hypothesium evolutiones, neque enim nostra, quantacunque sit simplicitas sibi persuadere potuit, quenquam facilè tria systemata conjunctorum in ista seistarum diversitate. Physici phænomena sua Medicis subministrant, & causas illorum proximiores. Tirones igitur, qui profunda systematum non perspiciunt, maneant in phænomenis certis, modum subtilem transiliant, ne novæ gignantur σκιάμαχιαι. Excellentiss. Stahlius cum Ill. Leibnitio serram illam aliquamdiu reciprocavit, destitit verò dein ab infructuoso negotio gravioribus curis detentus; Leibnitioque vel ænigmata, vel Apophthegmata loquente Ipsius principiorum haud graris, conquievit feliciter lis ista, ad Medicos se non transfundens, qui potius per ipsa principia illa moniti sunt, ut desistant ab operosa via Mechanica, perquirendi frustra figuram minutia-

rum, physicasque & propiores secentur causas. Monades, nov. antiquum illud *κερνούμενος*, Metaphysicæ relinquendum est. Si verò existiment aliqui Medicorum Filii, pertinere id omnino ad se, ut inquirant in Harmoniam præstabilitam, nec posse Elementorum loco admitti Monades censeant, illi hoc sibi imponunt inutilis oneris, ut teneantur ostendere operosè, Monades non habere locum, sed potius particulas materiæ minimas, figuratas tamen, elementa prima esse, hoc enim si egerrint, vacillat Harmonia non solùm præstabilita, sed & Universalis illa Leibnitii priori amplior longè, sublimiorque, ac conceptu difficilior. Annon verò tutius est discentibus magisque proficuum subsistere in explicandis phænomenis Medicis in Elementis propinquis, seu in quæ corpora sensibiliter ac conspicuè resolvuntur, in particulis nempe salinis, sulphureis, aqueis, terreisque, indeque resultantibus aliis, unà cum interfluentibus aliis tenuissimis corporibus, cujuscunque dein figuræ fuerint istorum minima. Nec quiequam vetat quò minus Medicorum Tirones concretas ex his sibi concipient molecularum figuras multivarias, hamatas, ramosas, cavas, cuspidatas, imò, quod alicubi legas, pro abstersione efficaciori scopales; quis enim phantasie ludenti hīc limites ponat? Etsi prudentiores malint ferè abstinere ab ipsis fictionibus prorsus incertis, eum advertant, vel ipsum Lewenhœkium, quo nemo in Microscopiorum usu penitus in intima corpusculorum penetravit, hærere in figura particularum Salinarum, aliarumque, confusum magis ista inquisitione, quàm edoctum de figura partium vera; Aspice insuper, ut fidem nobis habeas, si libet, in Erudito de Sulphure scripto Guilielminiano additam figuram, credas te videre caput Medusæ Rumphianum, vel polonicam plicam, aut nefcio quid intricati, antequam legeris, repræsentare illam figuram unam sulphuris particulam, quam sibi mente formavit subacti alias judicij Vir; quis verò in punctulo

punctulo seu atomo sulphuris istas tricas atque ambages non respuat? De illis verò Tironibus Medicis, qui subsistere malunt in causis physicis propioribus, evidentibusque phænomenis, verum erit quod de homine Cælibe, ac felice prædicat ultimum distichon jocosí Epigrammatis, quod titulo Automedontis veteres allegant:

Ταῦτα εἰδὼς σοφὸς Ἰων. μάθην δὲ Επίκουρος ἔπεισε  
Πᾶς τὸ κενὸν ζητῶν, καὶ πίνεται μοράντεσσ.

Hæc doctus sapies, Epicurum querere frustra  
Quà sit inanè sines, quæque sient Monades!



*Clarissimo Domino Candidato**S. P. D.*

## PRÆSES.

**C**um saluberrimæ artis Exercitio Chirurgicam adjungere Praxin habeas in animo, libuit ex isto potissimum Fonte disputandi materiem feligere. Prima mox Thesis momenti haud exigui observationem circa tendinosarum partium vulnera, eorumque siccitatem Emeticis debellandam continet, quam, ut monitum supra est, Excellentissimo Archiatro ac Seniori nostro commendavit eximiæ Scientiæ, solidæque Praxeos Vir, Regius Landavii Chirurgus, idemque Eminentissimi Cardinalis Rohanii invigilans Sanitati Dominus **D· OMERGUE**. Quām verò volupe nobis fuisset excurrere latius in argumentum tam nobile, tam proficuum! At non permisere arcti queis constringimur hīc limites ampliorem rei gravis discussionem; imò nec secundæ Thesi, inoculationi adeò jam celebri sat spatii reliquere, ut quid de ea sperare

re liceat, specialius potuisset disquiri, si maximè  
calculum D. Julin attendamus, qui annotavit ex  
numero 475. istud tentamen subeuntium sub fi-  
nem anni 1723. in Londinensi urbe, novem fatis  
concessisse, ac in aliis viginti novem frustra id fuis-  
se tentatum. Quām enim ratiociniorum hīc sœ-  
cunda foret seges! Cum notabilis adeò subjecto-  
rum operationi novellæ submissorum pars frustra  
sustinuerit insitionem puris ac eluserit proin præco-  
cia hominum morbos pro lubitu moderari conan-  
tium tentamina. Et quid quæsō novem illi pueri,  
qui artificialibus variolis extincti sunt infeliciter,  
timidioribus suggerent scrupuli, atque hæsitatio-  
nis haud omnino intempestivæ, aut exsibilandæ?  
dubitabunt enim tales non sine specie probabilita-  
tis, annon reliquo naturæ negotio, ac providen-  
tiæ divinæ unicè transcripto, novem isti homines  
mitius potuissent variolis attingi, iisque minori cum  
periculo defungi? Nostrum verò non est illis vel  
scrupulos, vel fiduciam imprimere. Erat potius  
animus evagari in hunc campum latius, pluraque  
futuræ praxeos Tuæ attingere objecta; ostendere  
Hydroceles, ac tumoris scroti hydropici tum quā  
genesin

genesin indolemque tumoris , tum quā medendi methodum differentiam; pensitare altius osculi uteri interni situm in partu nunc directum, nunc distortum, ac variè obliquum, non minimæ in difficiili partu consequentiæ, ac unā reflectere mentem ad graviorem adhuc partūs obicem , qui in ossis innominati prava conformatioне , Illeique ac Ischii , & pubis ossium in formanda pelvi ac magno foramine vitiis consistit, & ad quem non satis forsitan semper in casibus specialibus attendi, suspicari quis queat. Quis verò istum tam vastæ artis oceanum exhauriat? Contrahenda sunt vela, cum vel ista abundè sufficient discursui Inaugurali, Tuæque Eruditio ni publicè demonstrandæ. Eadem sanè limitum chartaceorum arctitudo exclusit seriem numerosam observatorum ex amplissima praxi Honorat. Parentis Tui, D. **JACOBI BALTHASARIS SIMONII**, Chirurgi Jurati dexterimi ac benè meriti, Cui æquè, ac Tibi honores istos, ac gaudia gratulamur! Jubeat verò illa vobis esse perennia Deus Ter Optimus, Maximus, Cujus Te gratiæ, providentiæque sub ipsis praxeos auspiciis impensè commendamus.

Vale !

